



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. Quo pacto Religiosi possint esse executores Testamentorum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

alijs extraneis, siue mares sint, siue feminae, etiam minores, modò decimum septimum annum ætatis expleverint, siue laici, siue clerici sint &c. Ita ut si plures sint simpliciter constituti à testatore, possit etiam unus, sine altero, ad executionem procedere, non tantùm si res certa legata sit, quo in casu nihil refert, per quem fiat executio, sed etiam, si modus exequendi, vel executio incerta sit, sint tamen executorum nominatorum aliqui vel mortui, vel in remota regione morentur, vel ob aliud impedimentum diutius duraturum nolint, aut non possint exequi, uti habetur in cap. Religiosus 2. iuncta glossa §. sane v. expressit h. 1. in 6. (ne voluntas scilicet testatoris aut negligatur, aut d u dfferatur nisi testator expressè hoc prohibuisset.

§. II.

Quo pacto Religiosi possint esse executores Testamentorum?

Possunt etiam religiosi esse testatorum executores (exceptis FF. Minoribus de observantia, quibus specialiter hoc prohibet Clement. I. de verb. signif.) tam ad pias, quàm ad profanas causas juxta cita. cap. Religiosus (cùm tale officium etiam ad profanas causas, sit opus pietatis, & misericordiae, religiosum per se non dedecens) dummodo per hoc non abstrahantur à servitio divino: & quamvis qui in claustris, vel monasterijs vivunt, propter varias causas, vi superioris immediati (nisi consuetudo, vel peculiare Ordinis constitutiones, aliud præscribant) petere, & obtinere licentiam debeant, nisi sint ipsi

tales superiores; illi tamen religiosi extra monasteria vivunt, benedicti, & seculares alicui, aut Ecclesie Parochie addicti, non indigent ad munus obeundum superioris licentiâ, ut patet glossa in Cit. cap. 2. V. Religiosus, rationes contra hos non pugnant. Ita tamen gesta à Religioso, qui executor testamento constitutus est, etiam si licentiâ munus hoc exequendi obeat post revocatum licentiâ, quam superior semper revocare potest, etiam non amplius integrâ cùm nulli facta licenter revocando injuriam) valida, si canones prohibeant quidem talem executionem, non tamen invalidam, quòd religiosus talis sufficienter de propria naturâ ad exequendum potestatem habeat, & voluntatem: & quoniam exempti sint ab ordinatorum jurisdictione, si tamen executionis testamenti munus obeant, debent rationem executionis reddere locorum Ordinibus, & ab his, si in tali executione deliquerint, puniri possunt, prout statuitur Clement. Religiosi h. 1.

§. III.

Utrum executor designatus à testatore compelli possit ad acceptandam, & exequendam, & quomodo?

Non cogitur quidem executor constitutus à testatore ad acceptandam executionis officium, neque ad hoc compelli potest, cùm liberum sit ei datum suscipere (nisi ad exequendum legata Clericum sibi subiectum cogat Episcopus, si non ut executorem, sed ut suum delegatum, & Commissarium postquam tamen acceptavit (licet non